



# Disputatio medica inauguralis de vertigine

<https://hdl.handle.net/1874/341918>

16.

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
**VERTIGINE,**  
*QUAM*,  
DIVINA FAVENTE GRATIA,  
*Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,*  
**D. M. JOANNIS LUYTS,**  
Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inlytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,  
NEC NON  
*Amplissimi Senatus Academicî consensu, Nobilissimeque  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*  
**PRO GRADU DOCTORATUS,**  
Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis  
ritè, ac legitimè consequendis,  
*Publicè disquirendam s̄istit*  
**JOANNES van ROSSUM**, Ultrajectinus.  
*Ad diem II. Junii horis solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,  
Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc Ioc LXXXVIII.

*V* *I* *R* *O*

Omni genere eruditionis instructo ,

*Atque hoc nomine longè celeberrimo ,*

D. JOANNI MUNNICKS ,  
M. D. Reip. Ultr. Poliatro ,  
in illustri Academia Trajecti-  
na Medicinæ Anatomes &  
Botanices Professori Ordina-  
rio , præceptori ac promotori  
venerando , nec non tutori-  
bus , atque amicis fidelissi-  
mis ,

*Hacce Theses Inaugurales*

*Offero , & inscribo*

JOANNES van ROSSUM .  
*Auctor.*

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VERTIGINE.

THESIS I.

  
Iserandam profecto humanam vitam, & tantis ærumnis, & calamitatibus obnoxiam esse, omnibus constat: innumeræ insuper in ipsa nasci causæ, è quibus periculosissimi postmodum gignuntur morbi, videntur; inter quos, haud ultimum locum obtinet, gravissimus ille affectus, *Vertigo*; quæ subito, & repentinò homines afficit, & quidem ita ut objectorum motus gyratus adesse videatur. De sævissimo hoc affectu in disputatione hac inaugurali agere animus est.

I. I.

Quandoquidem autem venerandæ artis ordo ita exigat, ut ab ipso inchoëmus nomine, cuius consideratione, in propriam rei cognitionem facilius provehimur. *Vertigo* itaque est vox talis, ut eam non reperiamus voce unâ, atque cädem apud Hippocratem semper græce expressam: modo enim dinos, modo scotodinos, modo scotomia, modo scotoma est: ex quibus patere potest græcos in hoc affectu semper unam candemque vocem non habuisse: illa enim vero vocabula animi tarditatem significare possunt; quoniam à parva occasione hebetantur ii, qui sic, hoc est vertigine laborant, adeò, ut interdum cadant, maximè si aliquando in gyrum rotentur: seu alium quempiam rotari viderint: sive rotam, aut id genus aliud quidpiam, aut ipsos quoque, quos vocant in aquis vortices, circumagi viderint. Apud latinos vero varia ejus nomina non invenimus, sed tantum nomen illud, quod est, *vertigo*.

A 2

III. Da-

## 4 DISPUTATIO MEDICA

## III.

Data nominis explicatione, ad rem ipsam nos accingere cūpimus. *Vertigo* itaque est ille affectus, in quo omnia objecta visibilia (etsi firma, & stabilia sunt) in gyrum agi aut rotari, vel aliter inclinari, & subveri existimamus.

## IV.

Partem verò primariò affectam cerebrum esse ex eo constat, quod præter motrices animæ functiones, ipsæ etiam principes animæ facultates lædantur, quarum fons ac commune principium in cerebro est. Ipsis ergo læsis facultatibus, necessariò & cerebrum læsum erit. Vel ex eo, quod visio, citra oculi, medii, vel objecti vitium, hic lædatur, & posset dici id affici secundum suam substantiam; cum vertiginosi excrementa pituitosa ex ore & naribus copiose aliquandò excernant, & capitis gravitatem nonnunquam ferant.

## V.

Causæ hujus affectus efficiētes sunt multæ, & variæ, quæ tamen omnes in unam causam proximam seu immediatam, quemadmodum multi rivuli in eundem fontem proximum seu immediatum, derivantur, videlicet in deturbatum spirituum animalium in cerebro & è cerebro motum: quæcunque enim hunc affectum producunt, id efficiunt deturbando spiritus animales; ut humores pituitosi, sanguis coagulatus, lapilli in glandula pineali inventi, medicamenta narcotica sive stupefacentia, spiritus vini abusus, vasorum colli aliqualis compressio, &c. quorum omnium in sequentibus ulteriore explicationem sumus daturi.

## VI.

Haud immeritò hic affectus à medicis inter affectus seniles numeratur, cum tam propter ætatem, quam temperamentum frigidius, magna pituitosorum humorum copia in iis colligatur: quæ aliquandò à calore fusa & attenuata, simul cum sanguine in cerebrum defertur: ubi facilimè ob temperiem frigidorem cerebri in minimis illis simulque numerosis arteriolis, cerebrum percurrentibus & tubulis sinuum duræ menigis, qui in cerebro funguntur venarum officio, condensatur: ibique in

## I N A U G U R A L I S .

in spiritus crassos, ac vorticosos conversa, & sufficientem spirituum vitalium, sanguinisque arteriosi in cerebrum ingressum impediens, vertiginis saepissime existit causa.

### V I I.

Simili modo sanguinem, vel à cerebri nimio frigore, vel aliâ causâ coagulatum (cum talem coagulationem in lacte, sanguini valde analago singulis diebus viderimus, & etiamnum in chylo, diutius ventriculo inhærente, ut post crapulam, videmus) cerebri vasâ infarciendo & obstruendo similem affectum gignere posse procul dubio est.

### V I I I.

Hinc facili negotio est intelligere, qua ratione, qua vi, qua efficacia narcotica sive stupefacentia majori quantitate exhibita, vertiginem, imò quandoque mortem ipsam inducunt: nempè quatenus volatili sua visciditate spiritus figunt, & ad se invicem conglomerant: & pariter caliditate, ex amaritudine & acrimonia satis manifesta, ebullitionem in sanguine excitant: unde vapores copiosi & crassi è sanguine exhalant, & in cerebrum levantur, qui partim sua nimia copia meatus cerebri infarcientes, partim sua narcotica vi, vascula sanguifera obstruentes, debitam spirituum animalium generationem impediunt: hinc etiam colabi membra, & sensus vacillare faciunt, unde somnus illicet satis profundus inducitur.

### I X.

Non minori certè fundamento observamus, aliquem vertagine saepissime afficere posse, vini, aut spiritus vini Abusum; quatenus inde geniti spiritus animales crassiores, & minus puri irregulariter per cerebrum moventur, ac inordinatè ex eo in nervos omnes fluunt, hinc & inter se confusi motum istum vorticosem facile inveniunt.

### X.

Vertiginem quoque non raro producunt lapilli in glandula pineali inventi, prout refert Theodorus Craanen in *lumine rationali medico*, seu, *praxi medica reformata*, quia hi suos poros etiam habent, æque ac alia corpora; ita ut semper per glandulas

## 6 DISPUTATIO MEDICA

dulæ pinealis poros spiritus quidam moveatur. Insuper Vertiginem producere possunt corpuscula crassa, ramosa simulque fungosa, in unam molem concreta; quibus eruditi medici ob similitudinem quandam polypi nomen imposuerunt: qualia corpuscula quandoque duræ matris sive meningis sinibus inhærente observatum est.

### X I.

Etiam aliquando vertiginis causa est aliqualis vasorum collum compressio: Ea enim impedit quo minus sanguis ad cor sufficienti copia redire queat: atque ita debita circulatio sanguinis in cerebro impeditur: indè cum non possit novus sanguis, & spiritus vitalis in cerebrum ingredi, non possunt etiam novi spiritus animales gigni in substantia cerebri & cerebelli corticali, & per consequens, spiritibus continuo magis magisque deficientibus, & cerebro & cerebello debilitatis, sequitur vertigo, & tandem mors ipsa.

### X I I.

Præterea à conspectu rerum profundarum ex alto oritur vertigo per accidens, non vero per se, nam tunc omnes, & singuli semper deherent ex isto conspectu profunditatum vertigine laborare, quod tamen falsum est, sed tantum hoc oritur in non assuetis & timidis: quare concludimus hoc à terrore fieri, quia nihil est quam firma imaginatio periculi jam imminentis, & quasi præsentis: qui namque in alto positi terrore maximo ab imaginatione depravata citè afficiuntur, sibi periculum causus jam quasi præsentis imaginantur, & perceptionem quandam in se reperunt, quasi jam caderent actu, & viderent singula objecta celeriter susque deque ferri, & prætervolare suos oculos: hic autem conceptus motum circularem in cerebro involvit, quare ab hoc motu circulari vertigo tam potest produci, ac si ab aliâ causâ ortus ille motus fuisset. Aliqui etiam præ timore res manibus comprehensas omittunt, & manus solvunt, & sic cadunt, quia subitus terror periculi ita animam totam occupat, ut de determinandis spiritibus in manus ne semel cogitet, quare musculi flaccescentes manus solvunt: superius quoque notavi, quod vertigo inter affectus seniles à medicis

nu-

numeretur, & non male, cum senes huic morbo magis sint obnoxii, quia eorum fibrillæ minus cedunt spiritibus crassioribus, & latici nervoso; & sic tubuli nervorum minus possunt dilatari juxta Hippocratem *sect. III. aphor. 31.* dico ego spiritus animales in hoc affectu propriis centris tractibusque medullaribus inhærente, et si prædicti spiritus eodem momento quo circulantur nonnullis viderentur non posse isto eodem momento commode per nervos distribui, quia ad circulum deflectentes hunc affectum producunt.

## X I I I.

Hisce præmissis ad signa nos convertimus; signa itaque vertiginis, vel imminentem, vel præsentem ejus statum indicant; imminentem vertiginem minitantur capitis dolores, capitis gravitas, inflatio faciei, & ejus decolor &c. præsentis vertiginis signa sunt satis manifesta, æger nonnunquam, nisi vicinis fulcris innitatur se erectum sustinere non potest, in terram prolabitur, ibidemque tam diu jacet, donec, vertigine cessante, spiritus animales officium rursus faciant; sensus manent integri, exceptis duobus internis scilicet sensu communi, & imaginacione seu phantasia: nonnunquam (etiamsi pavimentum cui insistit inverti illi videatur, ac si quoque simul inverteretur, nisi sustineatur aut retineatur) cadit, subitoque corruit & pedibus dum se retinere cupit, terram pulsat: si corpus elevet, simul ac dimittis, pondere suo, ut in cadavere concidit, integris omnibus nihilominus sensibus manentibus, exceptis illis duabus internis antea nominatis.

## X I V.

Atque hisce signis hoc vitium quod dinos, vertigo dicitur, ab epilepsia, apoplexia, syncope, quibus percussi, statim quoque prosternuntur, facile distinguitur & dignoscitur: in epilepsia, adest inordinata totius corporis convulsio seu motus convulsivus omnium actionum animalium læsioni conjuncta, non æquè in vertigine, in illo affectu quippe epilepsia existentes extensa manu egregiè verberare & colaphis cedere non possumus non, ut excitentur; at neutrum horum in vertigine contingit. In appoplexia attoniti jacent ægri, & tanquam mortui cadunt,

&amp; à

## 8 D I S P U T A T I O M E D I C A

& à mortuis non distant, nisi à rubore in facie, & pulsū, & respiratione; sed non ita in vertigine. A syncope verò dissidet vertigo, quod patiens illâ correptus ex valdè magno lapsu sibi non sit conscient, quod præterea in illa insignis vivificationis lœfio, & omnium virium magna prostratio ex sufficientis copiæ spirituum, & caloris genitorum, ac in partes impulsorum defectu, existant: in vertigine verò non adest insignis vivificationis lœfio & omnium virium magna prostratio ex causis statim nominatis, & patiens vertigine correptus ex valdè magno lapsu, non est sibi non conscient nisi jamjam mors ipsa instaret.

### X V.

Patefactis vertiginis signis diagnosticis, ad signa ejus prognostica nunc sumus transituri. Omnis vertigo periculosisima est: ut notat Regius lib. I. præxeos medicæ medicatione XII. fol. 55. cum ibidem inquit, nisi morbus hic tempestivè curetur, metus est, ne in apoplexiā, carum, vel alium similem cerebri gravem affectum, degeneret.

### X V I.

Absoluta tandem affectus hujus cognitione, procedimus ad ejus curationem: ubi tres indicationes curativæ sunt observandæ. Primo ut causa, qualiscumque illa sit, debitam spirituum tam vitalium quam animalium generationem impediens, tollatur. Secundo ut nova causæ antecedentis generatio, impeditur; tertio ut cœrebrum hoc affectu summoperè debilitatum quamprimum per medicamenta convenientia corroboretur.

### X V I I.

Medicus itaque, ad aliquem hoc affectu laborantem vocatus, ante omnia curam adhibere debet, ut æger à conspectu rerum valdè profundarum prima occasione moveatur: quia conspectus ille terorem ægro incutiens, cerebri & nervorum poros angustat, quo spiritus, in nervos sufficienter fluere, & ad lineam rectam, ut pars est tendere nequeentes, in cerebro in gyrum aguntur: ut etiam modestè agat, & se quantum possibile est, & vires permittunt, contineat: quibus peractis & in paroxismo & extra paroxismum usurpari possunt sequentia, ex gr.

I N A U G U R A L I S. 9

gr., aqua flor. til., ante pilep. langi, tunt. castor., sp. sal. armoniaci, vel talis mixtura præscribatur verb. gr.

R. Aq. flor. til. 3ij.

Antepilep. langi. 3iij.

Tinct. castor. 3iiij.

Sp. sal. armoniaci gutt. xvij.

Syrupi de stæchade 3j.

F. mixtura.

reliqua curatio pro causarum varietate nonnunquam est apud medicos varianda.

X V I I I .

Si humores pituitosi in corpore redundant vertiginis cul-  
pam sustineant, optimè convenientia medicamenta purgantia, qua-  
lia sunt agaricus, semen carthami, turbith, hermodactili, ele-  
ctuarum hierę picrę, diacatholicum, pilulae aureae, cochiæ,  
mercurius dulcis, trochisci alhandali &c. ex quibus variae  
medicamentorum formulæ pro ægri & causæ affectus exigentia for-  
mari possunt: interim unam pillularum formulam præscribam  
& formula sit talis:

R. Pill. cochiarum gr. xvij.

mer. dulc. gr. x.

trochisc. alband. gr. iv.

pulv. castor. gr. iiij.

f. inde f. a. pill. no. v.

ad humoris pituitosi ulteriorem præparationem, & capitis cor-  
roborationem, optimè convenient, radices acori, fæniculi,  
ostrutii, zedoariæ, pœoniæ, herb. betonicae, majoranæ, salvię,  
thymi, rorismarini, lauri, flores lavendulæ, anthos, betoni-  
cæ, meliloti, salvię, bacc. juniperi, lauri, nux moscata, oleum  
succini, rorismarini, &c.. ex quibus medicamentorum pro  
ægri statu ac natura variae formulæ, à quolibet experto medi-  
co, facilè concinnari possunt: interea unam aut alteram for-  
mulam ad cerebrum in hoc affectu magnoperè debilitatum cor-  
roborandum, præscripturi sumus, verbi gr.

B

R. Aq.

## 10 DISPUTATIO MEDICA

R. Aq. beton., flor. tiliæana 3ij.  
catarrhalis 3ij.

Syrupi de stœchade 3j.

Sp. sal. armoniaci gutt. xv.

M. F. mixtura.

vel R. aq. flor. tilia,  
catarrhalis ana 3ij.

Syrupi de stœchade 3j.

Sp. sal. armoniaci. gutt. xij.

M. F. mixtura.

vel R. Conserv. salv. I V X  
anthos, ana 3j.

Rad. bel. cond., cort.

Aurant. ana 3j.

Ol. mactis stillaritii gutt. vij.

Syrupi condituriæ bel. q. s.

M. F. conditum.  
post pillulas, ultimò cum formula quadam à nobis præscriptas  
potest pariformiter talis vertiginosus uti sequenti decocto:

R. Raf. ligni. guajaci 3ij.

Raf. ligni. sassafras 3vj.

Rad. zalfaparille 3j.

Chine 3j.

incisa & contusa macerentur per noctem calidè in aq. com. lib.  
v, deinde s. a. coq. addo. rad. turbith. hæmodactili a. 3j.

Calami aromat. 3ij.

Herb. beton., salv. ana mj.

Pulpa colocynthidis 3j.

Liq. rafe 3vj.

F. col. 3xxxx.

& de hoc decocto patiens semel, vel bis de die bibat cya-  
thum, prout plus, vel minus per alvum purgatur.

X. I. X.

Si autem à quadam cranii depressione, & compressione, nec  
non sanguinis extravasati inter duram matrem, & cranium ip-  
sum hærentis, pressione, producatur vertigo, confessim tre-

pano

I N A U G U R A L I S. 11

pano sive modiolo cranium perforandum, elevandum, & sanguis extravasatus educendus est. Sin ab alia causa quippe à sanguinis coagulatione proveniat, præmissa venæsectione, præscribenda sunt medicamenta, quæ à nobis ad sanguinis coagulati dissolutionem semper præscribi solent, uti sunt hæc. rad. rub. tinct., mumia, sperma ceti, oculi cancri præparati seu pulverisati, syr. capil. veneris, pulvis ad casum, &c. vel fiat talis formula:

*sq. Ocul. Cancer.*

*Sanguinis hirci exsiccati a. 3j.*

*Mumia 3lb.*

*Spermatis ceti 3j.*

*M. F. pulv. no. iii.*

X X.

Tandem diæta est præscribenda, aëris subitanæ mutationes vitentur. Eligatur purus: cibi sumantur euchymi & eupepti, nec flatuosi, sed simul parcí: potionis quantitas moderata convenit. Potus igitur sit vinum, & cerevisia mediocrimum virium. nocet ingurgitatio. Commendatur sobrietas, in motu modus servetur. Exercitatio lenta ambulandi currendique interdum est necessaria, maximè ante singulos pastus. Ab otio, & quiete excedentibus semper abhorreat. Somnus interdum longior, interdum brevior sit, vigiliæ æquè moderatæ sint oportet ac somnus, quem modo superent, modo duratione cedant, pro circumstantiarum necessitate, & ægri consuetudine. Alvis libera & mollis servanda, interdum liquanda, interdum etiam ducenda: reliquarum corporis partium excrementsa suis temporibus evacuanda: inter affectiones animi potissimum metus, ira, & tristitia evitentur.

# PROPOSITIONES.

I.

*Fætus in utero respirare videtur.*

II.

*Quod ab assumptis cito reficiamur, indè non sequitur chylum venas gastricas aut mesentericas ingredi.*

III.

*Artem medicam in quibusdam esse conjecturalem concedendum videtur.*

IV.

*Contraria contrariis curantur.*

V.

*Materia lactis est chylus.*

VI.

*Spiritus animales non generantur in ventriculis cerebri.*

VII.

*Spiritus non est pars calidissima corporis.*

F I N I S.